



Sax. C
182





~~H. J. J. J. 1639~~

ORATIO ADITIALIS

H A B V I T

A. D. XXIII. DEC. A. MDCCLXIII.

CHRISTIANVS AVGVSTVS CLODIVS
PHILOSOPHIAE PROFESSOR ORDINARIVS.

L I P S I A E

EX OFFICINA LANGENHEMIA.



SERENISSIMO PRINCIPI

AC DOMINO

D O M I N O

FRIDERICO AVGVSTO

DVCI SAXONIAE IVLIAE CLIVIAE MONTIVM
ANGRIAE ET VESTPHALIAE

S. IMPERII ROMANI ARCHIMARESCHALLO
ET PRINCIPI ELECTORI

LANDGRAVIO THVRINGIAE MARCHIONI MISNIAE
ET VTRIVSQVE LVSATIAE

BVRGGRAVIO MAGDEBVRGICO COMITI HENNEBERGAE
MARCAE RAVENSBERGAE BARB. HANOVIAE
DOMINO RAVENSTENII

FRANCESCO PRINCIPALI

ACCADEMICO

D O M I N O

FRANCESCO PRINCIPALI

FRANCESCO PRINCIPALI

FRANCESCO PRINCIPALI

FRANCESCO PRINCIPALI

FRANCESCO PRINCIPALI

FRANCESCO PRINCIPALI

FRANCESCO PRINCIPALI

FRANCESCO PRINCIPALI

FRANCESCO PRINCIPALI

FRANCESCO PRINCIPALI

SERENISSIME PRINCEPS

INDVLGENTISSIME DOMINE

Quam mihi *DIVI PARENTIS* et *MAGNI PATRI* incredibilis clementia aperuit ad rempublicam viam, eam nuper sub *TVIS* auspiciis, *DOMINE*, ingressurus, nec sine *ILLIVS* desiderio et admiratione, nec sine sensu felicitatis nostrae in *TE* positae, arripui talem diem, quae esset et solemnitate illustrior, et sanctitate sua ad

* 2

COM-

*commemoranda beneficia aptior; arripui, inquam, diligenter, et inspiratus civium frequentia, quorum pectus sola recordatione diei TVAE incaluerat, ut hodie iterum incalescit, remota arte et adulatione, quam TE odisse scio, quae his ipsis civibus, PRINCIPVM exemplo optimis, quae urbi et Academiae TVAE, (o quam utraque vere TVA est!) quae DIVO PARENTI, PATRVO, MATRI, TIBIQUE deberem, non sine quadam perturbatione et metu, sed fideliter tamen et ingenue publice pronuntiaui. Saepius autem rerum ipsarum, de quibus dicendum erat, amplitudine perturbata oratio mea, non potuit magnitudinem TANTORVM PRINCIPVM attingere, quam TVA olim, DOMINE, non dicam attinget, sed exprimet aemulatio. Interdum etiam mihi ipse orationis modus interclusit spatium excurrendi in praestantissima aetatis TVAE monumenta. Vnum dicam, et id
impri-*

*imprimis reipublicae et litterarum causa memorabile.
Quam bibliothecam olim MAVRITII FRATER in-
signi liberalitate instituit, libris et codicibus, cura Wer-
therorum ex vltima Italia deportatis, auxit; quam sa-
pientissimus Saxoniae Administrator, illis temporibus di-
uinitus datus, vt nostris XAVERIVS, instruxit et
ornauit, quam codicibus Turcarum Arabumque, tanquam
opimis spoliis, hosti trepidanti detractis, incredibiliter
locupletauit Gloriosus Germaniae Defensor, GEOR-
GIUS TERTIVS, postquam urbem imperatoriam te-
terrime obsidione liberasset, et captis hostium urbibus,
Venetis, Imperio, Occidenti salutem, et ab imminente
barbarie securitatem peperisset; quam vltor hostium et
dignitatis defensor, AVGVSTVS II, post res in
bello et pace gloriose gestas, magnifico aedificio, Pelle-
grinorum immortalis arte, innumeris Besserorum Duca-
tiorumque codicibus ac libris, imaginibus, tabulis,*

plus quam Regia liberalitate dotauit; quam denique
AVI TVI, REGIS OPTIMI, prouidentia, consti-
tutis per *Italiam, Graeciam et Orientem*, qui varia
quaeque doctrinae monumenta colligerent, et additis
Heucherorum, Sebischiorum, Bergerorum bibliothecis,
reddidit illustriorem; eam *DIVI PARENTIS,*
*PATRVI TVI, MATRIS*que incredibilis solli-
citus, adeo, et cum tanta celeritate iussit accrescere,
ut vel ex hac parte cum *Italis et Gallis* de principatu
certare videatur *TVA* respublica. Voluerunt enim,
TE gaudente, in *TVAE* aetatis memoriam, cum monu-
mentis *MAIORVM TVORVM* coniungi insignem
illum diuinae humanaeque sapientiae thesaurum, quem
intra triginta annos, suis impensis, incredibili diligen-
tia, delectu et elegantia, ex vniuersa *Europa* congesse-
rat, auctoribus omnium aetatum et terrarum praestan-
tissimis, imprimis vero *Iuris publici et historiarum* diui-
tiis

*tiis instruxerat immortalis eius auctor et fundator,
Bunauiae gentis et litterarum ornamentum. O dignam
praedicatione publica et immortalitate de re litteraria
solicitudinem, quae me non potuit latere, imprimis
cum haberem testem rerum TVARVM et fidum libera-
litas summae interpretem, Patruum meum, qui gloria-
tur, id ipsum PRINCIPIS beneficium in sua tempora
incidisse, et infatigabili studio in illo ornando occupa-
bitur. Atqui haec et alia diligentius poterant a me
commemorari, sed malui minus disertus, quam minus
erga TE pius videri, malui pro TVA salute publice
Deo supplex fieri, et ciues TVI amantissimos ad publi-
cam exultationem euocare. Vel me tacente haec omnia
res ipsa loquitur, et loquetur olim fida rerum magna-
rum interpres posteritas. Iam vero, DOMINE, pa-
tere me, quae dicta sunt in felicissimam TVAM Natalem,
publice Tibi offerre ea die, quae propter Nomen
TVVM*

*TVVM patriae, TIBI et Germaniae memorabilis, et
propter communem optimorum quorumque exultatio-
nem solemnem et celeberrima est. Iubeat Deus immor-
talis, TE, PATRVO, ANTONIA salua, saluam
Rempublicam esse, me vero sub TANTORVM
PRINCIPVM, qui haereditario iure amorem
litterarum et ciuium acceperunt, numine felicem.*

SERENISSIME PRINCEPS

AC DOMINE

CELSITVDINI TVAE

Deuotissimus

Christianus Augustus Clodius.

Quod beneficium, litterarum et philosophiae amore, et Vestro, Patres, exemplo incensus, a Deo immortali precatus sum, vt, si quid esset in me aut ingenii aut voluntatis, id liceret in ea academia publice profiteri, quae antiquitate grauis, excellentissimorum in quoque genere virorum doctrina celebris, et mirabili concursu nobilissimorum adolescentium, non ex Germania, sed ex vltima Europa confluentium illustris; id mihi nuper in ea aetate, in qua honestum erat ad rempublicam aspirare, accedere honorificum videtur, viuo Parente, cuius venerabilem senectutem, Deo et reipublicae dicatam, reficere potest grati filii inexpectata felicitas, auctoribus Vobis, Patres academiae, et commendatoribus, Commilitonibus non aegre ferentibus, iubentibus denique talibus Principibus, quorum alter gloria generis
A 2 humani,

IV

humani, orbisque terrarum pacator, nunquam sine sensu et dolore appellandus, alter pacis conseruator, salutis publicae auctor, et tutor eius Electoris esset, a quo spes omnis nostra et publica felicitas pendet, id mihi inquam concessum, laetor, et qua sum ingenuitate, ex hoc amplissimo loco, quem mihi Decani Spectabilis humanitas aperuit, Tua, Rector Academiae, et Vestra, Comites Illustrissimi, Patres et Commilitones, praesentia honorificentissimum reddidit, me laetari publice fateor. O insignem in me tuendo Dei immortalis prouidentiam, non oratione, illius enim quae sit tanta vis, ut magnitudinem diuinorum beneficiorum non dicam aequare, sed attingere possit? sed honesta taciturnitate adorandam, et quoniam haec optima verae pietatis significatio est, vitae morumque honestate et simplicitate, religionis cultu perpetuo, infatigabili studio reipublicae inseruendi, et, nihil enim est ultra, pia morte olim celebrandam. Adolescens, pauper, obscurus, non nisi Parentis et Patruis, quo gloriator, nomine, honestissima gente, ex qua natus eram, et qualicumque litterarum amore commendabilis, Lipsiam veni, amplissimam urbem, et litteris et opibus affluentem, ibique non solum tales patronos et praeceptores nactus sum, qui propter insignem humanitatem vellent, et doctrinam singularem possent me ad philosophiae et litterarum sanctissima studia excitare, errantem a via cum lenitate reducere, iuuentutis impetu ferociorem religionis gravitate coercere, opibus destitutum ornare, acerrimis morbis coluctantem salubri consilio reficere, sed tales etiam, qui me et gente et virtute generosis adolescentibus, nostri qualiscunque studii testibus olim futuris, priuatim praeficerent, denique accedentem ad rempublicam litterariam Principi et Vobis commendarent, sed vellent etiam hodie adesse, et discipulum, doctrina et aetate
inferio-

inferiorem, in honesto timore, quem tantorum Virorum praesentia affert, incredibili humanitate et vultu et silentio reficere et sustentare. Sane si non desiderium quorundam magnorum Virorum, quos lugubre bellum et acerba mors reipublicae eripuit, si non insignis Vestra modestia, Patres academiae, mihi silentium afferret, quorsum me sensus ille pietatis, quo inspiror, deduceret? Gloriarer, est enim haec legitima gloria, Deylingios, Wollios, Hebenstreitios, Baueros, Ianckios, quam carum mihi et memorabile nomen! gloriarer, me Christium patronum et praecceptorem habuisse, et mihi inprimis ab hoc criticorum principe id quaecumque interpretandi poetas studium, quod Vobis non displicuisse sentio, inspiratum fuisse. Sed accedam ad sacra tantorum virorum monumenta taciturnus, et sufficiat mihi, quod non sint, dolere, quod fuerint, reipublicae gratulari. Accederem porro ad Te, Rector Academiae Magnifice, cuius excellentem doctrinam, probum pectus et generosam liberalitatem eo vehementius amplector, quo propius me ad Te accedere iussit nuper de me lata inclutae Nationis Saxonicae sententia. Laudarem vestram in me ornando proclivitatem, Comites Illustrissimi, diceremque, esse hanc vestram gloriam, insigni humanitate eum locum ornare, in quo nati estis. Accederem ad vos, Theologi, et aetate et doctrina venerabiles, Stemleri, Crusii, Barthii, Ernestii, Richteri, diceremque, felicem esse ecclesiam, urbem et academiam felicem, quam fides vestra, apud externos auctoritas, et cum insigni doctrina coniuncta eloquentia ornet, me vero felicissimum, qui Vos publice priuatimque doctores et ad salutem duces habuerim. Tum demum, quo nihil in me gloriosius dici potest, appellarem me publice, ex eo loco, quem mihi Tua doctrina aperuit, discipulum Tuum, Venerabilis Vir, Ernesti, idem

VI

nobis et posteritati, qui nostris temporibus Camerarii, Grotii, Gesneri. Enarrarem - - sed tacerem potius, et magnitudine beneficiorum turbatus, significarem vultu et oculis, me Tibi omnia debere, et iis omnibus, qui adsunt, testibus, orarem Deum immortalem, vt iuberet tam illustrem doctrinam et amabilem pectus diu inter nos commorari. Sed haec illustria nomina nondum meam felicitatem complectuntur. Non paterer mihi laudationem eius ordinis eripi, ad cuius saluberrima consilia vniuersa Germania accurrit, et a quorum doctrina, iuris, aequi bonique intelligentia, tanquam ex salutari fonte, ad externos deriuatur. Commendauit me Principi Vir Illustris, Iureconsultorum princeps, Hommelius, docuere me per insignes libros excellentes scriptores et elegantissimi Iurisconsulti, Winckleri, Kustneri, Platneri, Segeri, quos inprimis amplector: sed quis in tanta multitudine doctissimorum virorum delectus? De Te vero, Ludeuigi, quid primum dicerem? labores immensos, in incredibili varietate rerum constantiam, omnium disciplinarum ambitum a Te auctum et constitutum, et nuperrimo libro emensum, antiquam illam et venerabilem litterarum Teutonicarum societatem restitutam? Sunt haec, fateor, illustriora, et Te cum Boerhauis, Platneris, Halleris, tradent immortalitati. Sed est aliud mihi propius. Ita Te Deus iubeat felicem, ita Tuos liberos, curae litteratissimi Viri, et a grauioribus academiae laboribus in illorum cultu requiescentis, traditos, ita inquam illos olim reipublicae salutare esse iubeat, vt Tu mihi parentis loco fuisti, et, quae tua singularis indulgentia est, amici. Eodem animo de Plazii, Viri insignis, doctrina, erga me humanitate, et de vniuersi ordinis gratiosi beneuolentia dicerem, cum quo inprimis coniunctus fui, quoniam vidi, esse
in

in illo cum grauissimarum rerum intelligentia facilitatem humanitatemque summam coniunctam. Adproperarem denique ad Amplissimum ordinem, quo cum propius coniunctus sum, et ad Te primum, Decane Spectabilis, cuius celeberrima fama non patitur se his terris includi, sed permanuit in patriam Tuam, et Te principibus Germaniae commendauit. Dicerem de honorifica vestra praesentia, Viri venerabiles, Graeciae, Galliae, et Heluetiae ornamenta, quos philosophiae amor et eloquentiae gloria ex remotissimis nationibus Lipsiam aduexit, ibique doctissimis quibusque probauit: inprimis cum inter vos videam aetate, dignitate, meritis, beneficiis mihi inprimis venerabilem Parentem. Dicerem Gottschedios, Winckleros, Heinsios, Boehmios, Britanniae et Galliae notos, ornamentis principum et plausu publico illustres. Sed quem ex eo ordine non dicerem, ex quo nemo non aut me doctrina, aut consiliis, aut humanitate ornauit. Dicerem Te, Gellerte. Laudarem? me audacem, si laudare vellem, quem, quod nouum et inusitatum est, illustris fortuna et principes terrarum cum admiratione, mediocritas et afflicta fortuna cum solatio, senectus sub ipso mortis limine non ficcis oculis, et cum incredibile alacritate arripit adolescentia. Atqui Te dicerem patrem, praeceptorem, ex eo loco, ex quo Tu saepe mihi incredibili Tua eloquentia pietatis et honestae aemulationis lacrimas extorsisti. Et Vos, Commilitones? sed suspicamini potius ex mea perturbatione animi, ut ego ex Vestro vultu, frequentia, silentio incredibile in me Vestrum studium, quo publice gloriatur, quoniam licet apud Rectorem Academiae et hos meos praeceptores, ut apud parentes, gloriari, ut ego, inquam, ex his signis felicitatem meam futuram intelligo. Sed nolite putare, nostram felicitatem solius academiae limitibus circumscribi.

Scia-

VIII

Sciatis potius, fateri enim gestio, me a Mascouiiis, Kustneris, Borniis, Consulibus, quorum acerbam mortem, nisi diuinitus dati alii et insignes magistratus essent, nec adesset vterque filius, respublica non ferret, me ab illis inquam sustentatum, Senatui commendatum, primo et amplissimo studiorum meorum praesidio ornatum fuisse. Quis ignorat Schubertos, Bornios, Gutschmidios, doctrina insignes, reipublicae patres, caros Principi, et negotiis honorifice pro patria susceptis illustres? Atqui hos nactus sum commendatores et patronos. Fuere etiam ex illo ordine amici, quorum fidem et fauorem inprimis sensi, Telleri, Stiglitzii, Mülleri, aliique viri ornatissimi. Tantis vero praesidiis ornatum me mea fortuna et academiae amor Dresdam deduxit. Si vobis, litterarum aestimatoribus, a Deo immortali poscendi erant praesides, quos optassetis: vt non audeam ad eorum lucem ascendere, qui Principis confidentia ad litterarum ornamenta vtantur, quanquam ad illos propior cura earum non pertinet: quos inquam optassetis, Ciues? Loosium, Academiae non tutorem, sed parentem, iudicem acerrimum, ignorantiae vltorem, et litterarum illustre ornamentum. Globigios, Hohenthalios, quanta nomina! quam nobis salutaria, exteris illustria, et posteritati praedicanda! Hermannos, Amendios, Lyseros, et omnes eos, quos prouidentia rebus ecclesiasticis praefecit, viros intelligentia summa, academiae et religionis amore, liberalitate insigni, et incredibilem diligentia in tuenda Vestra auctoritate vestrisque iuribus spectatos. Atqui illorum commendatione et auctoritate ad publicum munus accessi. At quid dicam de FRIDERICO CHRISTIANO, pacatore orbis terrarum, cuius memoriam non potest non in animos ciuium reuocare hoc tempus lugubre orbitatis anniuersarium? et a quo ipse ego Vobis, Patres, nec debeo, nec
possim

possum tacere, per litteras commendatus fui. Quid de summo Imperatore et Duce X A V E R I O, quem olim, vbi de fortuna Saxoniae diuina prouidentia decerneret, tantae cladis solatium futurum voluit. Quid de A N T O N I A, quam vnam in orbe terrarum dignam deligeret Deus, quae esset Saxonum et F R I D E R I C I A V G V S T I mater. Quid de S E R E N I S S I M O E L E C T O R E, cuius natalem diem, orbitatis suae insigne solatium, respublica exultans meditatatur, cuiusque vitam et salutem flexis genibus et extensis in coelum manibus; antiqua fide, spectata pietate, nec Galliae, nec Britanniae cedens, Saxonia a Deo immortalis precatur? Sed est haec virtutis in illustriori loco positae maiestas, vt honesta quadam trepidatione afficiat eos, qui ex obscuritate sua in tantam lucem exsurgunt. Quare ne me tantarum rerum ambitus et maiestas ab institutis pietatis deterreret, constitui, de magnorum virorum virtutibus praedicandis dicere, suspensionem magis animi mei erga summos Principes facturum, quam imbecillitate mea et infantia rei magnitudini detracturum. Efficiam tamen, vt sentiat, me, si non doctum, quis enim audeat inter Germaniae doctores doctus videri? certe pium esse; acceptorum beneficiorum memoria, et futurae felicitatis expectatione inspiratum. Caeterum non irascantur Rector Academiae et reliqui principes Viri, me commemorandis beneficiis maiorem partem orationis tribuisse: nec fuit vnquam vllum peccatum magis ab adulatione seruili alienum: sed gloriosius fuit ex hac parte peccare, quam seruatis artis legibus, quas non ignoro, laudem breuitatis cum vituperio stuporis et ingrati animi meruisse. Dicam igitur, Vestra pace, Vestro vultu, humanitate et silentio sustentatus, de magnorum virorum virtutibus publice praedicandis. Ante omnia, quis est is magnus vir, quem ego volo in vtilitatem publicam praedicari,

B

quibus

X

quibus moribus commendatur, et quae est in illo virtus princeps? Aio vero, nullum neglecta pietate locum magnitudini esse. Cadit etiam in ferocios animos, aut temeraria cupiditate inclarescendi, aut facibus aemulationis incensos, species quaedam virtutis et magnitudinis simulacrum, quale in Achille expressit Homerus; sed est hoc potius inconstantiae et ferocitatis exemplar, magis in arte, quam in vita aemulandum. Quam enim inferior est temeraria vis, ad ostentationem, non ad utilitatem publicam definita, non tam ratione, quam impetu in res magnas et speciosas delapsa, quantum inferior honesto sensu timoris, quo humanae imbecillitatis memor animus ad auctorem sapientiae Deum assurgit, eiusque praesidio non ferocior, sed tutior fortiorque cum incredibile spiritu et diuina constantia ad rempublicam accedit, patriae clandestinis dissidiis cupiditate, impotentia, luxu, lasciuia laboranti succurrit, diuina humanaque litterarum sapientia austeritatem ciuium emollit, commerciorum salubri conspiratione desidiam cum egestate coerces; tum rite compositis rebus domesticis, diligentissimus periculi cautor et circumspcator exterorum rebus miscetur, lenitate et indulgentia iratos et furibundos sibi conciliat, et tum denique, necessitate vltima coactus, quis enim, nisi haec iam capiti immineat, hostili ciuilique sacro sanguine deturpari velit terram, sub infesta ruina indignantem? tum, inquam, memor personae et gladii non frustra diuinitus concessi, victricibus armis imminentem pestem a patria defendit, non tam alienae iniuriae vltor, quam defensor suae, non victoriarum ostentator, quam securitatis publicae instaurator. Sed non est boni aestimatoris magnitudinis, semper in publicis facinoribus occupari, ne similis sit iis, qui nimio sole perfusi, in quacunque luce minori, tanquam in obscuritate, caecutiant. Magnum est, fateor, spoliis detractis
mittere

mittere ante sese indignabundas hostium legiones ducemque vultu in terram fixo minacem, ex innumeris vnum spectari, ex militari gloria in illustriora negotia ferri, sed, vt in Caesarem Cicero, habet haec ipsa victoria gloriosi laboris consortes, et quasi riuales. Sed perturbationibus victis sibi imperare, singulorum fortunas secum remotis arbitris meditari, sub contemplatione diuinae maiestatis incendi, supplicem Deo fieri, orare, iubeat se non regem, sed parentem esse, nullum locum in se vltioni, aut suspicioni patiat, ostendat sibi, o insignem et memorabilem orationem! si quis adhuc bonus vir lateat, aut inuidia, aut paupertate oppressus, clementia vti erga reos, et tranquillato vultu miseri ad se redeuntis magis laetari, quam is ipse venia — O tum demum amabilem magnitudinis speciem, quae si non me moueret, me barbarum et inhumanum putarem. Ita est, Auditores. Iudicate ipsi, FRIDERICVS CHRISTIANVS, cuius iam tacite a me expressa imago est, cuiusque memoriam eo diligentius seruare debemus, quo significantius in ELECTORE animus eius expressus, FRIDERICVM CHRISTIANVM eratne maior, vt sumam ex tot exemplis vnum, et id quidem ex iuuentute, cum saluberrimum iter in Italiam suscepturum vniuersa Italia expectaret, expectationem ingenii diuini aduentus superaret, cum doctissimi viri confluerent, non Augustos et Traianos, non Mediceos, sed FRIDERICVM CHRISTIANVM ferrent in ore, alterque alteri diceret, imminere Saxoniae laetam diem, talem Principem hunc esse, qui ad se olim litterarum et artium diuitias ab Alpibus et Rhodano ducturus sit, eratne ergo tum maior, an cum, remotis arbitris, in tantarum urbium et imperiorum ruina sederet taciturnus, circumspiceret omnia, in incendiis montium, maris tumultu, nationum celeberrimarum sepulcris, et concussis

XII

eorum tropaeis, apud quos fuisset orbis terrarum imperium, meditabundus haereret, cogitaretque secum, haec omnia esse mortalia, vnam virtutem, vnum ciuium amorem superstitem fore, et tum post diuturnum silentium oculis in coelum erectis per has ipsas ruinas, et per lacrimas Germaniae salutare iuraret, se non marmoribus et amphitheatris, se in pectore ciuium olim superstitem futurum. Dicam aliud. Cum idem Princeps cruentissimo bello, horret animus sub eius memoria, exhaustam incendiis et ferocitate hostili patriam, vnus in se magnorum exercituum animos gerens, saluberrimis negotiis restauraret, et te, terrarum orbis, ad quem turbandum plane omnes concurrerant, vnus pacaret, tum inquam non erat maior, quam cum clam omnes cum immortali Coniuge laetaretur, Principem Haeredem magnam spem patriae ominari, oraretque Deum, illud diuinum ingenium Principis, illud amabile pectus, immortali sua sapientia firmari et roborari iuberet? Sed quorsum me tanti Principis recordatio deduxit? Concedite, Patres, concedite, ciuem, alumnum, diuinae liberalitatis testem, ad sacrum monumentum, quod ruinam tanti Parentis complectitur, vnam, quam in potestate habui, gratiam, has meas lacrimas deportare. Et quoniam Vos lugubris memoria depressit, cogitate XAVERIVM, ANTONIAM, hesterni diei felicitatem, et haeredem tantae magnitudinis, ELECTOREM. Tum vero, quoniam vel secundo et tertio ordini sua magnitudo est, ad cuiusque ambitum et locum metienda, miscemini tot illustribus Viris, quorum conspiratio quaedam saluberrimorum consiliorum est, abite Dresdam. Quae verae magnitudinis exempla, quam digna publica laudatione et commemoratione posteritatis! Redite animo ad Vos, cogitate Vos patres, tutores, amicos liberales, praeceptores fidos, excellenti doctrina,

na,

na, et iudicate tum ex Vobis ipsis, quae sit illa magnitudo, quae virtutes cum vtilitate pie et publice praedicandae. Vix est quod de natura illius praedicationis multis dicam, adeo species eius videtur bonis viris et virtutis amantibus vltro offerri. Oderunt omnes boni, nam quid omnino potest esse turpius, feruile adulationis aucupium, ita a generositate animi alienum, ita magnitudini infestum, vt detrahare videatur iis ipsis, in quibus temere laudandis torquetur. Sit igitur primus eius et vberrimus fons ductus ex veritate, nec putet quisquam, sensum veri et falsi a natura impressum impune et absque turpitudine violari. Laudent igitur Tiberios et Seianos aut metu aut spe correpti fucatique oratores, tanquam per vuida vestimenta, statuis ab artifice imposita, vndequaue nuda veritas et translucida apparebit. Nec putet quisquam, omnem illam praedicandi vim, in arte oratoria aut in poetica facultate sitam, pendere ex natura felicioris ingenii et speciosis rerum imaginibus. Sunt, fateor, haec omnia per se praeclara et vero laudatori optanda, vt accuratius videat, quid sit in re quaque excellentissimum, causas magnitudinis et fontes diligenter indaget, interdum sublime rapiatur, et propius ad diuinæ prouidentiae salubria consilia euolet, et forma ipsa dicendi suspensos vel lectores vel auditores teneat, inspiciat, rapiat: nec potest negari, Plinius, Camerarios, Dagueffouios, Fleschieros, Ierusalemos, Crameros, significantius exprimere speciem virtutis, et veritati calore pectoris, et eloquentiae vi maiestatem quandam et gratiam conciliare. Sed non sunt haec genera ita cum vtilitate praedicandi et commemoratione publica coniuncta, vt non possint aut omnino ab illa seiungi, aut certe minore gradu adesse, quoniam est ea veritatis vis, vt ipsius nudi commentarii placeant, et accuratius contemplanti afferant quandam

XIV

dulcedinem, et honestae aemulationis sensum inspirent. Notione igitur verae magnitudinis in vniuersum et praedicationis ipsius constituta, ventum est ad argumenta. Iam vero, quoniam certitudo rei non tam pendet ex multitudine argumentorum, duplex erit, idque vtrumque ductum ex Dei natura et voluntate. Ostendam primum, quoniam omnis magnitudo virorum illustrium pendeat a natura, ingenio, cultu, loco, ea vero omnia nemini temere accidant, sed ducantur ex singulari Dei prouidentia, sequi, illa ipsa magnitudinis praesidia, tanquam illustria beneficia diuinitus concessa, esse colenda, ornanda et publice in honorem eius, qui concesserit, commemoranda. Dicam porro, pertinere hanc commemorationem ad promouendam virtutem, quoniam et auget intelligentiam, et voluntatem impellit ad bene praeclareque agendum. Quis vtrique argumento resistet? Si enim illa commemoratio est cultus diuinus, si ad augendam virtutem pertinet, quam sibi in hac humanitate Deus imprimis proposuit, quid addendum? Indignum vltiore doctrina mortalem, qui aliud desideraret argumentum, quam Deum voluisse. Iam vero a quo tam ampla et mirabilis rerum natura, vicissitudo, rerumque series pendet, sine quo nulla respublica, nullus hic orbis terrarum, sine quo non hodierni diei felicitas, non haec vestra manus, pro salute Principis extensa, nisi quis malit cum Lucretii simiis a natura Dei actionem et prouidentiam remouere, is inquam, ad quem, negato infinito processu, et casu et necessitate remota, etiam tum assurgere cogitur intellectus humanus, vbi mitioris iugi impatiens et licentia ferox, ingeniosas latebras quaerit, et errationibus perpetuis implicatur, is inquam naturalium et moralium causa princeps, conseruator, ordinator, non potest non, quoniam vniuersi adfertio partes non patitur excludi, etiam omnis magnitudinis causam

causam

causam amplecti. Atque hoc aperte patet in exemplis. Est tibi a natura excellens ingenium: sed aude, cui mentis ipsius mirabilem productionem nec potes nec debes negare, quem vniuersi animi auctorem sentis, intelligis, ei virium tuarum modum facultatumque rationem non debere. Est cultum arte ingenium, ad res maiores paratum, mitius pectus et humanitati apertum: sed quis voluit te eo loco nasci, iis opibus gaudere, ea in gente exurgere, in quam hic cultus omnino caderet? Quis circa te iussit insignes viros occupari, quis tibi sensum religionis inspirauit, quis eis ipsis procliuuitatem, tibi inprimis feruendi, et animum dedit ferocitati tuae, saepius cum periculo, immittere habenas? Sed haec tibi conueniunt? Cedis philosophorum, Scherlokiorum, Leibniziorum, Crusiorum, aliorumque argumentis? Et adhuc taces? Mirabor, ais, Dei prouidentiam taciturnus. Noli hoc putare. Cur hic tibi sensus veri boni pulchrique concessus? Cur tibi haec ipsa vis dicendi data est? Cur feliciori ingenio occurrere solent illustriora argumenta, et rerum viuacae imagines? Vt taceres, ut patereris, aut alios desidia tactos, et illecebris voluptatum corruptos negligentius iudicare, alios cum leuitate quadam et petulantia per argumenta diuinae prouidentiae transcurrere, et maiestati insultare? O Deus immortalis! si tu mihi vnquam concessisti aliquam dicendi facultatem, aut iube me omnino illam abiicere, aut inspira hunc animum, ut non haereat in admiratione humanae vanitatis, sed in tua magnitudine contemplanda et commemoranda acquiescat. Atqui si haec commemoratio magnitudinis est talis, qualem volo, absque adulatione et calumnia, cum narratione causarum fida, facta insuper mentione beneficiorum diuinorum; si ea est, non debet non Deo accepta et grata videri, neglecta vero, vis et iniuria maiestati et bonitati diuinae illata putari.

tari.

XVI

tari. Et felicem eam antiquitatem, ea nostri temporis instituta, quae iubent nos esse demonstratores et narratores diuinae potentiae et benignitatis. Nolite ferre, Auditores, ut, quorum stuporem, desidiam et rerum diuinarum caecam ignorantiam sapientior nostra aetas semper in ore fert, eorum nos procliuitate, studio, diligentia in rebus diuinis vincamur, nisi forte Vos frustra ad ampliore[m] rerum cognitionem euexit Dei immortalis, saepe, sed nunquam impune neglecta indulgentia. Nolite destruere sanctissimas illas aras, a maioribus nostris Deo vero et immortalis publice extructas, cum ii ipsi, quos non temere putatis summa obscuritate laborasse, ei, quem non nouerant, ignoto deo, aras extruerent. Ergone Demosthenis seuera dicendi vis, et Ciceronis cum grauitate ueritas, ergone Virgilio[rum] Horatio[rum]que spiritus, in rebus magnis et uiris insignibus ornandis, belli pacisque euentibus constituendis semper ad deos suos recurret, rubentem dextram Iouis ultoris, expiatores scelerum deos, iactabit, Catilinarias artes et pestem a republica defensam eorum saluberrimis consiliis loquetur, nemo Marathona, nemo Pharsalicas acies, nemo Philippos et Actium absque deorum recordatione commemorabit, et nos impune patiemur obliuione deleri, et eos, qui magna, et eum, per quem fecerint? Illi Titos suos et Traianos, tanquam beneficia diuinitus concessa reipublicae, laudabunt, NOS AVGVSTOS, FRIDERICOS CHRISTIANOS, XAVERIOS, et quibus quisque artibus, quibus praesidiis diuinitus instructi, aucti, ad res praeclaras incitati fuerint, tacebimus? Ac si Vos species illa antiquitatis forsan deterruit, accedite ad eos, quos saepe in rebus minoribus aemulamini, abite in Britanniam animo, abite in Galliam. Habebit illa summos laudatores, et immortalitatis et diuinorum beneficiorum commemoratores illustres,

stres, habebit vniuersa Germania, nos soli tacebimus? Prouoco ad Vos, Patres, diligentissimus rerum Vestrarum contemplator, est enim haec mea voluptas, ex mea obscuritate, non magnis viris irasci inuidiosus, sed videre, laetari, aemulari. Quot sunt inter Vos ex honesta paupertate in eam lucem euecti, vt Praeceptores Germaniae, vt consultores videamini! Haec vero praesidia a loco, natura, materia, in qua versati estis, quis temeraria putet? Immo vero, video ego, et vident mecum hi omnes, Vestrae doctrinae praecones per orbem terrarum futuri, potentio rem manum prouidentiae diuinitus ad vos ornandos et sustentandos extensam. Ingratam posteritatem, ingratum me ipsum, si vlla ratione a Vestri nominis commemoratione absterrerer me paterer. Sed habebitis aliud nouum, maius, et propter hesterni diei felicitatem memorabilius exemplum, omnem magnitudinem pendere a Deo, et debere ad illum vnum referri. O me felicem, quod non historiarum praesidiis indigeam, nec sit recurrendum ad rhetoricas artes, sed ex patria media petere possim argumentum diuinae de nobis sollicitudinis. Quod in vultu, oculis, fronte, pectore FRIDERICI AVGVSTI ELECTORIS omnia certa magnitudinis futurae signa videtis, quod sub lectione historiarum meditabundus filet, illustrioribus factis incalescit, rebus a maioribus gestis miscetur, imminetibus olim reipublicae malis irascitur, incredibili celeritate historicorum iudicia praeuolat, sanguinem pro patria effusum veneratur, exercitui miscetur, terrorem hostibus et suis animum inspiraturus; sed dicam aliud, quod heri, ea die, qua natus est, qua Saxoniam, et fidam urbem Dresdam, et Lipsiam vidit exultantem, quod in media hac solemnitate, memor magni Parentis precabatur, iuberet Deus se tanti exempli memoriam conseruare, iu-

C

beret

XVIII

beret insignes labores a PATRVO et MATRE suo nomine susceptos salutare patriae esse, iuberet hanc natalis diei solemnitatem, hanc Saxoniae publicam vocem esse incitamentum sibi maioris virtutis, quod haec, inquam, a Deo immortalis precatus est, estne haec providentiae ratio, an non est? Aut putet quisquam temere factum, eum natum a MATRE, quae? noli elogium quaerere, sunt quaedam nomina, omni elogio maiora, natum ab ANTONIA? An omnino nihil tribuet ei diei, quo diuinatione quadam propinquae mortis, sentiebat enim haec mens, se non diutius auelli posse ab aspectu eius, cuius in terris exemplar fuisset, quo die, inquam, iam viribus fractis, FRIDERICVS CHRISTIANVS ostendit filio caelum et patriam, illud reuerendum, hanc amandam, pro vtroque viuendum et moriendum. An putet quisquam, temere hanc orbitatem in XAVERIVM incidisse? Sed de hoc immortalis beneficio statim dicetur, erit mihi vltimum et illustrissimum exemplum Imperator, Tutor, AVGVSTI SECVNDI nepos XAVERIVS. Si igitur omnis magnitudo, pendens illa quidem a loco, ingenio, consilio, oritur duciturque a Deo, si tanquam beneficium publice datum, non ad singulos sed ad vniuersam patriam pertinet, si Deo accepta et grata est eius commemoratio, quis patiatur tantae bonitatis monumenta taceri? Quis non laudet antiquitate et sapienti consilio firmata Academiae nostrae instituta, quae hunc ipsum locum saepius eloquentissimis viris et diligentissimis magnitudinis aestimatoribus aperuerunt? Est philosophorum praestantissimorum demonstratione confectum, virtutem in hac nostra humanitate Deo imprimis spectatam pendere ab intelligentia et voluntate, neutram diuellendam, quoniam, quod praeter causas et rationem fiat, non sit virtutis, sed temeritatis, intelligentia
vero

vero sola, et notionum abstractarum distinctarumque copia, sine vigore quodam et calore mentis, ad agendum non satis impellat, saepiusque videantur multi ad operae infumtae magnitudinem rei perceptae dignitatem metiri, et viatoris instar in radicibus eius montis haerere trepidantes, quem iam sibi videbantur ascendisse. Iam vero cum reipublicae interfit, habere non solum, qui sciant, sed qui agant, intelligentia cum procliuitate excitanda est. Vtriusque vero praesidium mihi reperire videor in sincera et legitima commemoratione, quae docebit omnino, quibus praesidiis quisque usus, qua ratione sensum honesti, pulcri aluerit, quomodo in comparandis officiis earumque natura et cautionibus constituendis versatus sit, quod genus litterarum ad virtutem alendam amplissimum repererit, qua ratione simulacra pro rebus amplexus se post errationes diuturnas ad religionem et salutem receperit. Cur Vos, Commilitones, et recte quidem, inprimis eos praeceptores amatis, qui fontes doctrinae et errorum causas ingenue fatentur? Nempe quia iudicatis, ab illis vtilitatem, ab his cautionem et prudentiam in Vos deriuari. Atqui eadem ratio est commemorationis diligentis, in qua posita videtur quaedam geographia virtutis et historia. Ea enim, quae Vos, Theologi Venerabiles, mihi saepe de Vestra ratione priuatim dixistis, ea, quae legi de Melanchthone apud Camerarium, ad intelligendam viam et rationem theologiae fuere omni temeraria lectione maiora. Sed quoniam ea virtutis et pulcritudinis ratio est, vt vtraque natura sua vel animo contemplantibus placeat, inspirata tamen corpori; animo, vita et actione praedita, rapiat ad se non intelligentiores solum, sed adeo, in quibus minor est abstrahendi contemplandique facultas, videndum est, vt saepius ad viam virtutem recurramus, eiusque non so-

lum nudam compaginem, sed vultum honestum et diuinam securitatem, qua imprimis gaudet, intueamur. Habebit haec contemplatio insignem voluptatem cum vtilitate coniunctam, inspirabit menti maiestatis suae memoriam, et incendet honestam illam laudis aemulationem, quae sane non frustra mentibus humanis a natura impressa est, et quam, qui de augenda ornandaque virtute solliciti sunt, nec debent, nec possunt omnino negligere. Non meum est, semper in demonstranda officiorum natura ad antiquitatem appellare, earumque gentium auctoritate et solemnitate niti, quae interdum gloriae magis, quam virtuti vixerunt. Sed quoniam tamen non ita cum vera virtute coniuncta videtur prudentia ciuilis, ut non possit altera ab altera diuelli, iisdem facultatibus animi, eadem natura vtuntur, qui veram, qua, qui fictam sequuntur virtutem, vtrique ducuntur laudis et immortalitatis specie; finite quaeso illos in ipsius virtutis natura definienda errare, sed aemulamini prudentiam, qua animos ciuium suorum ad res magnas et speciosas incendebant, et reddite illam vestra sapientia et religionis intelligentia sanctiorem et efficaciorum. Quid sibi vero volebant publicae laudationes Romanorum, quos virtus militaris et patriae amor ad mortem subeundam inspirauerat? Quid commemoratio illa rerum pro republica gestarum, quam prudentissimus auctor Polybius ad militarem fortitudinem alendam imprimis valuisse contendit? Quid Periclea oratio, sapientissimo historicorum probata? Quid Lacedaemoniorum ille chorus, in quo publicum esset de immortalitate, virtute, robore, seniorum iuniorumque certamen? Quid vltor ille Aristogitonis gladius, myrto implexus, cum praedicatione, carmine, libertatisque memoria, plaudentibus vniuersis Athenis, publice deportatus? Quid Tyrtaea illa carmina, ingenii magni et milita-

milita-

militaris virtutis illustrissima monumenta, quibus inspirati, immemores vitae, salutisque priuatae ignari, indignabundi, coeci, furiosi, impetu facto in medias hostium acies ferebantur? Nempe videbant, his carminibus, hac ipsa praedicatione, torporem, defidiam ignauorum ad maiora audenda incendi, et fortitudinem ipsam immortalitatis studio ad res praeclare gerendas extolli. O incredibilem vim exemplorum, inclinantem libertatem, a qua pendet omnis virtus, aut potius ad se rapientem! Quoties ego te sensi! Quoties me Vestra, Patres, non splendidior fortuna, nescio enim, quomodo fit, vt de illa vix sim sollicitus, quasi fit in Principis et Vestra manu posita, sed Vestra doctrina humanitas et nominis immortalitas incendit. Sed quid loquor de mea obscuritate, quid priuatorum exempla? Non enim ciuium, non familiarum, non vrbium, sed vniuersae patriae salus, et imperiorum fortuna pendet interdum ex vnius virtute et exemplo. O felicem patriam meam, o felicem ELECTOREM, qui et ipse habeat cupiditatem incredibilem cognoscendi aemulandique virtutem, et fidos demonstratores alienae magnitudinis, et viuum et salutare magni TUTORIS exemplum. Iam tum, cum vltor patriae et PARENTIS, Galliae et Imperio expectatus ad exercitum proficisceretur XAVERIVS, non tam multitudine militum, quam robore perspicuum, iam tum, cum labore, fortitudine, celeritate in consiliis capiendis, et felicitate in iis profequendis, tot tantorum Ducum, qui sub Ipso militabant, et ipsius hostis admirationem incenderet, iam tum, inquam, commemoratio fida rerum a PATRVO gestarum, Illum, ex quo vno patria pendet, ad mortem ipsam, si iuberet Deus, pro patria subeundam, excitauit. Quomodo enim sine sensu quodam aemulatio-

XXII

nis potuit audire, vt ex multis virtutis et constantiae documentis vnum audeat tangere nostra oratio, fortissimum hostem non sine magna clade et trepidatione apud Lutersbergam esse fugatum, et duce PATRVO ab exercitu victore oppressum? Porro, quoniam non semper, ne nimia felicitate frangatur exercitus, prouidentia victoriam etiam fortissimis concedit, militarisque constantia non in vincendo solum hoste, sed etiam in rebus aduersis fortiter ferendis cernitur, et tum interdum maxime potentior animus elucet, vbi in communi ruina vnus inuictus et immobilis spectatur, quantum erat ELECTORI ad constantiam in vtraque fortuna incitamentum propositum, tum imprimis, cum audiret, afflictis fociis et clade et trepidatione, maiorem omni metu XAVERIVM, arreptam fortissimam legionem contra hostem iam victoria exultantem eduxisse, eoque bis ad cedendum coacto, per prostrata corpora, tanquam ad securum triumphum, militem non copia, sed virtute insignem traduxisse. Rebus vtique praeclare gestis, debilitato saepius et fracto hoste, fugato eius exercitu, et castris prope urbem positis, incredibili vi et maiore celeritate oppugnantur capiunturque, duce XAVERIO, Cassellae, et natura, et praesidiis munitae. Nemo putet haec omnia facta, absente nostro ELECTORE, interfuit sane mente et cogitatione istis proeliis, pro patria pugnatis, et, quem iam nunc praesentem miratur, amplectitur, eum oculis in castra secutus est. - - Sed postquam rebus compositis cum exercitu rediit in patriam, cumque immortalis ANTONIA de reipublicae salute deliberavit, quanta ex hoc ipso tempore aemulationis, et quam gloriosa, Principi data occasio est. Vidit templum illud maiore cum gloria restitutum, quam crudelitate incensum, ma-
iore

iore cum immortalitate fundatum, quam violentia destructum, audiuit Ipse viditque lacrimas fidissimae urbis Dresdae, exultationem publicam, et hymnos Deo immortalis, ut patri et restitutori pacis, ex ipsis sacris ruinis templi, et antiquitate et maiestate et probitate doctorum insignis, non sine religione et lacrumis, acclamante vniuersa Saxonia, cantatos. Vidit vniuersam rempublicam, tristissima orbitate lugubrem, sub auspiciis X A V E R I I et A N T O N I A E refici et instaurari, luxum et pestem reipublicae lasciuam coerceri, lectissimos quosque viros ad superiora consilia euocari, iura, leges, immunitates, priuilegia, auctoritate publica firmari, urbem nostram, Academiam, Senatum, saluberrimis consiliis ornari, artium praestantissimarum ex Italia et Gallia coloniam ad nos perducere, ingenia patriae praemiis et regia liberalitate incendi, artesque, saepius licentiae et luxus interpretes, saluberrimis consiliis intelligentissimi Praesidis Hagedornii, ab ostentatione ad utilitatem transferri. Vidit, o insignem et regiam liberalitatem! thesaurum illum diuinae humanaeque sapientiae incredibili accessione augeri, et bibliothecam Electoralem, iam olim regia liberalitate institutam, auctam, et diligentissimis doctissimisque custodibus ornatam, cum Bunauiana coniungi, ad splendorem Vaticanam et Parisiensem extolli, et hospitem vndeque cum magna expectatione affluentium expectationem superari. Sed quorsum mea deducitur oratio! redeat ad se, nolit abuti tantorum virorum patientia, recedat inquam ad me, vel, quod idem est, ad Vos, Commilitones. Vidistis talem, quam volui magnorum virorum commemorationem, pertinere ad cultum Deo immortalis debitum, vidistis illa ipsa intelligentiam ali, voluntatem ad res magnas inclinari, vidistis insignem vim exemplorum, ex
quibus

XXIV

quibus ad principes reipublicae et rempublicam vniuersam salubri contagione falus et gloria deducitur. Iam vero per ego hanc Vestram Vos humanitatem, per morum antiquam probitatem, si quae olim erit, aut, vt nuper ex Vobis aliquis non sine laude ostendit, si quae est in Vobis et dicendi et commemorandi facultas, finite alios aut inuidia aut calumnia meritis et immortalitati magnorum virorum insultare, et quaerite potius, quae posteritati feruetis honestatis et virtutis exempla. Nolite pati, Principes Vestros, et hos reipublicae Patres inornatos fileri, assurgite interdum etiam ad eorum sacram memoriam, quos matura mors oculis Vestris eripuit, et nolite putare esse hoc perpetui doloris graue alimentum. O salutarem hanc ipsam mortis et imbecillitatis humanae cogitationem, quae si semper in me et Vobis fuisset, nunquam a virtutis amore nos deduxisset animi perturbatio, quae si hodie in me excitaretur, quid inde sequeretur? Incenderer magis, parum temporis et vitae, quod Vobis, Patriae, Principi, Deo deberem, Deo, Principi, patriae, et Vobis sacrare. Vnum addam, non potest omnino taceri. Per quinque annos meam voluntatem Vestra humanitas et frequentia sustentauit. Quod si vnquam ea vel legendi vel interpretandi ratio, quam sequor, Vos a vera sanctitate abduxit, si animum Vestrum in detrimentum pectoris ad admirationem antiquitatis excitauit, si meritis aliorum detraxit, irascimini tempori male consumto, obliuiscamini scholarum mearum, et mihi eripite omnem, quam noui, felicitatem - - Vos. Si contra antiquitatis, philosophiae et poëseos amorem cum admiratione et commendatione virtutis et religionis tradidi, si propterea interdum eo ardentius volui Vos sentire dignitatem veterum, vt deinde ex comparatione eorum cum diuinis appareret, in his
 impri-

imprimis felicitatem Vestram salutemque propositam, iudicate ipsi, vtrum dignus sim, quam non relinquatis, et quocum hodie, in ista solemnitate publice pro salute et vita DOMVS AVGVSTAE precemini. Iam vero video et sentio hoc pectus religione quadam et pietatis sensu oppressum! O Deus immortalis! Sed quid primum dicam, quibus verbis exprimam Patriae vniuersae ardentissima vota? Quid enim est in Gente REGIA et ELECTORALI, affinitate et officiis cum vniuersa Europa coniuncta, non venerabile, non tibi et reipublicae carum? Sentiat haec vrbs, quae diuturni doloris tum immemor, sub ipsa tristissimi belli clade, vultu et praesentia CELSISSIMORVM PRINCIPVM inspirata, aliquoties exultavit, nuper in oculis Celsissimae Principis CHRISTINAE et DVCIS CVRLANDIAE Magni PATRIS clementiam laetabunda agnouit, et pro EIVS salute precata est: sentiant cum antiqua vrbe Dresda illustres doctrina, fide, prudentia, Ministri et Consilarii, quos tua potentia tueatur: sentiat vniuersa patria, et quam non temere cum antiquo Saxonum sanguine coniunxisti, Hispania, Gallia, Austria, Bauaria, nulla felicitate, nullis vitae praemiis destitui posse haeredes optimi REGIS, et Venerabilem exoptatamque nobis Sobolem FRIDERICI CHRISTIANI. Iam vero deest pietati nostrae oratio. Sed sentis omni oratione disertius pectus! Iube Deus felicem, diutissime felicem, cum PATRIAE TVTORE MATREM, ah, tanti nominis dulcedinem nemo melius Illa amplectitur, MATREM NOSTRAM ANTONIAM! Sit denique hesterni diei exultatio omen futurae nostrae felicitatis. De-

D

disti

XXVI

disti Deus, dedisti nobis FRIDERICVM AVGVSTVM
orbitatis nostrae solatium. O inspira hoc dignum TANTO
PARENTE pectus immortalis tua sapientia, et quae heri,
memor tuae maiestatis, a te supplicatus est, Ipsi, Patriae et
Germaniae concede! Per eum te obtestatur Saxonia, in quo
omnis spes generi humano nata est, per Te ipsum et castini
festi sanctitatem. Vnum addam. Ita me iubeat Deus esse felix
cem, PRINCIPI, Academiae, Vrbi, Vobis, Patruo, Parenti
commendatum, vt ego hesterni diei felicitatem sentio, PRIN-
CIPEM, Academiam, Urbem, Vos Patres, Hospites, Com-
militones, Patruum, et Te Parentem, honestam illam can-
tiem, et lacrimas, meae felicitatis Tuique animi interpretes,
colam et venerabor.

H. Sax. C. 1182.





